



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Die XXV. Maji. In Festo S. Gregorii VII. Papæ & Confessoris

[Paderborn?, 1770?]

Die XXV. Maji. In Festo S. Gregorii VII. Papæ & Confessoris. Duplex.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62786](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-62786)

Die XXV. Maii.
IN FESTO S. GREGORII VII.
PAPÆ & CONFESSORIS.

Duplex.

Omnia de com. Conf. Pont. præter seq.
Oratio.

DEUS in te sperantium fortitudo, qui
Beatum Gregorium, Confessorem tu-
um, atque Pontificem pro tuendâ Ecclesiæ
libertate virtute constantiæ roborasti: da
nobis ejus exemplo, & intercessione, omnia
adversantia fortiter superare, Per Domin.

Lectiones I. Noct. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

GREGORIUS Papa Septimus, anteà Hil-
debrandus, Suanæ in Etruria natus,
doctrinâ, Sanctitate, omnique virtutum ge-
nere, cum primis Nobilis, mirifice univer-
sam DEI illustravit Ecclesiam. Cùm parvu-
lus ad Fabri ligna edolantis pedes, jam lite-
rarum inscius, luderet, ex rejectis tamen
segmentis illa Davidici elementa oraculi:
Dominabitur à Mari usque ad Mare; casu
formâsse narratur, manum pueri ductante
numine, quo significaretur, ejus fore amplif-
simam in mundo auctoritatem. Romam de-
inde profectus, sub protectione Sancti Petri
educatus est. Juvenis Ecclesiæ libertatem à

)

lai-

Iaicis oppressam, ac depravatos Ecclesiastico-
rum mores vehementius dolens, in Cluniacensi Monasterio, ubi sub Regula Sancti
Benedicti austerioris vitae observantia eo
tempore maximè vigebat, Monachi Habitum induens, tanto pietatis ardore Divinæ
Majestati deserviebat, ut à Sanctis ejusdem
Cænobii Patribus Prior sit electus. Sed Di-
vinâ providentiâ majora de eo disponente
in salutem plurimorum, Cluniaco eductus
Hildebrandus, Abbas primum Monasterii
Sancti Pauli extra muros Urbis electus, ac
postmodùm Romanæ Ecclesiæ Cardinalis
creatus, sub summis Pontificibus, Leone
Nono, Victore Secundo, Stephano Nono,
Nicolao Secundo, & Alexandro Secundo,
præcipuis muneribus, & legationibus per-
functus est, Sanctissimi, & purissimi Consilii
Vir à Beato Petro Damiani nuncupatus. A
Victore Papa Secundo Legatus à Latere in
Galliam missus, Lugduni Episcopum Simo-
niacâ labe infectum ad sui criminis confes-
sionem miraculo adegit. Berengarium in
Concilio Turonensi ad iteratam hæresis ab-
jurationem compulit. Cadolai quoque
Schisma suâ virtute compressit. ¶ Inveni.

Lectio V.

Mortuo Alejandro Secundo, invitus, &
mœrens unanimi omnium consensu,
deci-

de
fir
el
po
pl
ta
ril
ut
fu
la
ej
Pi
C
fo
fit
ne
fu
co
su

I
hi
ca
ri
ra
C
v
st

decimo Kalendas Maji, Anno Christi mille-
simi septuagesimo tertio, summus Pontifex
electus, sicut sol effulgit in Domo DEI; nam
potens opere & sermone, Ecclesiasticæ disci-
plinæ reparandæ, Fidei propagandæ, liber-
tati Ecclesiæ restituendæ, extirpandis erro-
ribus, & corruptelis tanto studio incubuit,
ut ex Apostolorum ætate nullus Pontificum
fuisse tradatur, qui majores pro Ecclesia DEI
labores, molestiasque pertulerit, aut qui pro
eius libertate acrius pugnaverit. Aliquot
Provincias à Simoniaca labe expurgavit.
Contra Henrici Imperatoris impios conatus
fortis per omnia athleta impavidus perman-
xit, seque pro Muro Domui Israël ponere
non timuit, ac eumdem Henricum in pro-
fundum malorum prolapsum Fidelium
communione, regnoque privavit, atque
subditos populos fide ei datâ liberavit.

R. Posui. *Lectio VI.*

Dum Missarum solemnia perageret, visa
est viris piis columba è cœlo delapsa
humero ejus dextro insidens alis extensis
caput ejus velare, quo significatum est, Spi-
ritus Sancti afflatu, non humanæ prudentiæ
rationibus ipsum duci in Ecclesiæ regimine,
Cùm ab iniqui Henrici exercitu Romæ gra-
vi obsidione premeretur, excitatum ab ho-
stibus incendium signo Crucis extinxit. De
ejus

ejus manu tandem à Roberto Guiscardo Du-
ce Northmanno ereptus, Cassinum se con-
tulit; atque inde Salernum ad dedicandam
Ecclesiam Sancti Matthæi Apostoli contem-
dit. Cùm aliquando in ea Civitate sermo-
nem habuisset ad Populum, ærumnis con-
fœtus in morbum incidit, quo se interitu-
rum præscivit. Postrema morientis Grego-
rii verba fuere: Dilexi iustitiam, & odivi
iniquitatem, propterea morior in exilio. In-
numerabilia sunt, quæ vel fortiter sustinuit,
vel multis coactis in Urbe Synodis sapienter
constituit; Vir verè Sanctus, criminum
Vindex, & acerrimus Ecclesiæ Defensor.
Exactis, itaque in Pontificatu annis duode-
cim migravit in cœlum, Anno Salutis mille-
simo octogesimo quinto, pluribus in vita,
& post mortem Miraculis clarus, ejusque
sacrum Corpus in Cathedrali Basilica Saler-
nitana est honorifice conditum.

B. Iste est.

IN III. NOCTURNO.

*Homil. S. Hilarii in Evang. Vigilate. de
cod. com. 2do loco. Missa Statuit. Evang. ut
suprà.*

